# DE PHLEBITEDE DISSERTATIO INAUGURALIS QUAM IN ANTIQUISSIMO...

Prosdocimo Brazolo

Digitized by Google

# DE PHLEBITIDE DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM IN ANTIQUISSIMO

C. R. ARCHIGYMNASIO PATAVINO

AD

MEDICINAE LAUREAM

RITE OBTINENDAM

HABUIT

**PROSDOCIMUS BRAZOLO**

RHODIGINUS EX FIESSO

PATAVII

TYPIS SEMINARII

MDCCCXXXVI

Digitized by Google

712

Digitized by Google

# GUILIELMO LIPPICH

## PROSDOCIMUS BRAZOLO

*Mihi jampridem animus flagrabat cupiditate meum significandi erga te obsequium et existimationem. Nunc demum fausta ad hoc meum desiderium explendum sors mihi se offert, cum aliquid ex legibus academicis scribere debeam, ut emenso jam medicinae curriculo rite lauream consequar. Itaque hoc totum, qualecumque est, tibi nuncupare statuo; tuum enim est, res quae hic forsan minus experta rudique*

Digitized by Google

manu exaratae sunt, vivo a tuo ore persensi, vel ex praestantissimis Auctoribus depromere curavi, et in succum meumque in sanguinem convertere tentavi. Equidem intelligo quam sit meritis tuis munus impar; sed in eam spem facili negotio adducor, ut existimem illud non omnino indignum videri posse, si voluntatem accipias, unde denique pretium ejusdem muneris existit. Ad extremum credas velim, me tanto pro munere tibi maxime devinctum et in reliquum tempus fore.

Digitized by Google

Res ardua vetustis novitatem dare, novis auctoritatem, obsoletis nitorem, obscuris lucem, fastiditis gratiam, dubiis fidem, omnibus vero naturam, et naturae suae omnia.

*Plinius Hist. nat. lib. I. ad Vespasianum.*

Quotiescumque mihi ante oculos optatissima haec dies elucebat, qua splendidissimis laureae insignibus tanto solemnis pompae apparatu decorarer, animus laetitiae hujus vi perculsus extollebatur, et metam contingere paene dixerim caelestem putabat, quam tot per annos unam adfectavit. Ast veluti cunctis humanae vitae temporibus, hoc et ipso statutum est quidquam, quod dulce minus ne grave dicam ingratumque immisceri. Leges enimvero Academicae imperant hac solemni die medicinae Candidatos de quodam rei medicae argumento disserere, et sano consilio, si parumper utilitatem perpendere velimus, quam abundanter ex se praeceptum hoc praeseferre deberet. Ast mehercule quid novi, pulchri quid, utilisve in medium proferre potest is, qui quovis in argumento scholasticis legibus vectigal solvere hoc usque temporis momento debuit?

Digitized by Google

Ego tamen ut statutis iis, quantum in me est, obtemperem, e multiformi morborum familia qua dissertationis objectum phlebitidem elegi: hac in re et gravissima contuli, comparavi, unum alterumve volvi revolvique librum; sed nullibi adeo concinne et tam solido ordine systematico morbum hunc pertractatum, quam vivo ab ore ipsius mei Magistri elapso nuper anno persensi: hinc factum est, fateri equidem non erubesco, ut illius monita in rem meam converterim, et quae meliora variis ab auctoribus depromere potui. Quidquid hoc est, vos oro, Professòres humanissimi, ut juveniles et vi postulatas respicere vires meas velitis, acuto ne secer ungui.

Phlebitis argumentum habetur et est de quo disputationes, vel minimas, hasque vero inconcinnas aut millenis contradictionibus obrutas hoc usque temporis momento medici habuerunt: tali ratione ut tuto asserere possim medicinam et anatomiam pathologicam in infantia hoc de argumento adhuc versari. Venarum inflammatio recens sistit argumentum, legesque ipsius pathogenicae nec quantum rei nobilitas postularet ad trutinam auctores revocarunt, nec claro sub sole varia et proteiformia phaenomena hunc comitantia morbum exposita fuere.

Primus qui medicorum attentionem in se convertit dum de phlebitide quamdam reliquerit

Digitized by Google

memoriam, fuit Aretaeus. De venae cavae phlogosi loquitur, praebetque nonnulla ad hunc morbum dignoscendum indicia; articulus toilo-phlebitidis ab hoc scriptore nobis traditus etiamsi vivis depictus coloribus, nihilo tamen secius et in se omnibus numeris non poterat esse absolutus, propter anatomici studii antiquorum imperfectionem, tum vero ad omnis venosi systematis rami phlogosim inflammatio solius venae cavae applicari penitus non potest. Reperiuntur insuper quaedam hujusce phlogoseos vestigia in Dionis, Platneri, Boerhaavii et Van-Swietenii operibus; sed ne isti quidem Auctores hanc doctrinam ad illam sublimitatem quantum necesse foret, evexerunt. Celeberrimus Morgagnius hujus Archigymnasii decus ac ornamentum, qui jure meritoque pro pathologicae anatomiae creatore existimatur, ejus pathologicos effectus referre non praeterivit. Immortalis hujus Auctoris scripta tanto perculerunt amore medicorum mentes, ut totis viribus, totaque anima argumento huic studere idque evolvere coeperunt. Italia primum nostra, Germania dein, Gallia et Anglia innumera in lucem dederunt scripta, quae vel ex professo venarum inflammationem, vel aliis immixtam argumentis contemplata sunt. Sed cum phlebitis proteiformis sit morbus cujus pathologica conditio novissime tantum quodammodo

Digitized by Google

explanata fuisset, licet ab antiquis non omnino ignorabatur, ita hac nostra tantum aetate elucescere coepit phlebitidis nosologia.

Phlebitis est venae alicujus inflammatio. Dubitandum est, num totum systema venosum processus hic morbosus possit afficere; dicimus tamen *phlebitidem universalem* aut rectius *diffusam* si e ramis minoribus, uti fieri solet, ad plures majores, imo ad truncos principales venosos extendatur inflammatio. Unde quid *phlebitis localis* dicatur, sponte patet. Conditio hujus morbi pathologica in ipsa inflammatione reponitur, id est in vi vitali venarum vel systematis earum capillaris elata, cum processu vegetationis abnormi: unde rubor, dolor, calor, earumque tunicarum aucta crassities. Hic notandum occurrit quod sicut facili negotio in multis inflammationibus reperire fas est, ita et in phlebitide allatae conditiones semper praesentes omnes simul non sunt. Hoc demonstrari ac evinci potest e natura serosa interioris tunicae venarum; idcirco propter analogiam simul cum hujusmodi membranarum affectionibus, unde interdum accidit in phlebitide quod in acuta pleuritide ac peritonitide, quibus neque pleura, neque peritonaeum raro sunt crassiora et vix rubescentia, sed producta potius inflammationis secreta visibilia.

Digitized by Google

Longe saepius quam quod existimatur, venarum inflammatio occurrit. Praeterquamquod generatim licet asserere, vascularem esse omnigenam inflammationem, hinc et venarum: tamen speciatim vascularis systematis anatomica conditione et phlogosi perpensa frequentiores esse debent et periculosiores phlebitidis casus quam arteritidis, et haec ipsa saepenumero nihil aliud est nisi praecedentis diffusio ultra circulationis centrum, illinc ad arterias. Venae enimvero copiosiores sunt, exteriori superficie sitae: quapropter luce clarius elucescit rerum externarum influxui magis exponi debere. Praeterea sunt iis densiori textura parietes et juxta Magendie praegrandi ex minimis arteriarum, venarum, magnique sympathici fibrarum numero instructi. Auctoritati summi Bursierii haec propositio innititur. »Quis enim non videat, (ait ille) tunc etiam arteriolas minimas, quae venarum tunicis »insident, aut circumjacent, contextumve cellulosum inflammatione occupari? At frequentis»simam venosam inflammationem, inquies, se»ctiones anatomicae evincunt».

Causae eaedem quae generatim inflammationem gignere valent, phlebitidi communes habentur. Hinc silentio eas praetermitto, et tantummodo de iis sermonem instituere mihi menti est, quae hunc ad morbum gignendum speciali fere

Digitized by Google

240



modo agere videntur, et quae potissimum systema venosum afficiunt. Tales sunt puncturae, venae sectiones, lacerationes, vasorum ipsorum ligaturae, materierum irritantium acriumque contactus, ut videre fas est dum vena quaedam exulceratione correpta natet in abscessu, aut a sanie inquinetur a carcinomate subministrata, aut dum post artus amputationem plaga non omnino et sedula diligentia pure abstergatur. Tali agunt modo injectiones in venas institutae praesertim acrium substantiarum, contusiones, distensiones aliaeque horum parietum laesiones. Praeterea transitus repentinus ab aestu in Jovem frigidum, praesertim si humidum, balnea nimis calida, quaedam contagia, uti e. gr. de typhoso suspicatur, exanthematum impetiginumque retropulsio atque erysipelata. Gestationis status venarum cruralium inflammationis origo saepe saepius est, cujus Mekel multa exempla in lucem edidit. Hoc videtur ab uteri pressione in vasa iliaca pendere, qua de causa inferiorum artuum sanguini via intercluditur qua ab iisdem refluat, idcirco coxarum venae turgescunt, varicosae fiunt et dolentes, nec-non facillime phlogosi afficiuntur. Puerperarum insuper venae uterinae cum gestationis tempore magna distensione laborassent, sensibiliores fiunt et ad phlogosim facili negotio proclives esse videntur. Inde phlebitidis uterinae,

Digitized by Google

quae febris puerperalis ramum constituere potest et phlegmasiae albae proventus. Quod si postremo nonnullis helminthologis fides habenda sit, ipsi vermes in venarum cavitatibus geniti et nidulantes parietes irritare eo modo possunt, ut inflammatio in scenam appareat.

Proteiformes phases phaenomenologicae quas morbus hic exhibet, sequentes sunt: Dolor prope venae decursum, tumor cellularis textus proximi, non raro rubor, tensio, cutis cruciatus, apparitio postea funiculi nodosi, tensi, dolentis juxta vasis directionem; in ipsa cute ubi praecipue magis superficiales sunt venae pruriginis sensus, puncta quaedam venarum supra decursum colorem laete rubrum, quandoque adspectum formamque reticularem adsumunt: quibusdam in casibus cum frictionum ope sanguis centrum versus impellatur, videre facillime est ipsius liquidi columnam levem, parvumque motum invito acquirere eo temporis momento quo frictio relinquatur. Vena inflammatione correpta in textu cellulari circumambienti suppurationem quandoque determinat, totusque artus erysipelate corripitur. Dolores saepenumero ad cor potius quam ad extremas partes vertuntur, sub pressione augentur, et non raro rheumaticam formam praeseferre videntur. Calor etiam hanc sequitur directionem. Contingit raro ut phlebitis non nisi

Digitized by Google

supra enumeratis phaenomenis sese manifestet. Persaepe in medium prodeunt generales perturbationes, indubia febrilis conditio, eo vehementior quo major inflammationis ferocia, ejus extensio et vasis lumen alterati. Adjicienda hinc insuper haec sunt: Capitis dolor, facies interdum rubra, interdum decolor, anxietas, pervigilium, coma vigil, nisus in soporem, stupor mentis, animi depressio, anorexia, caligo oculorum, aurium susurrus, cutis arida, pulsus modo fortes vibratique, modo frequentes, irregulares, intermittentes, dicroti, cordis palpitatio, animi deliquia, faucium dolor, sitis intensa, dyspnoea, asthma, tussis. Accedit multiformis gastricorum, imprimis biliosorum symptomatum apparatus. Cum morbus ad hanc pervenerit periodum, symptomata multo periculosiora in medium prodeunt: isto enimvero temporis momento fere derepente violentus longusque frigoris horror periodice prout in febribus cum accessu se renovans ingruit, et phaenomena omnia exasperantur quasique a compluribus organis male affectis oriri videntur: delirio enim vago, irregulari, noctuque graviori aeger vexatur, saepe ac saepius sensus ita obnubilantur, ut absolute stupidus evadat: dolores quandoque insoliti unam aliamve corporis partem, pectus, abdomen, articulationis cujusdam centrum occupantes sese manifestant, lin-

Digitized by Google

gua fit summopere rubra, arida, anhelitus celer cum tussi sicca et rara, sudores copiosi, interdum etiam subitus icterus panditur, postremo aeger tot tantisque obrutus malis eum in statum qui febrium, uti dicunt, adynamicarum proprius habetur et est, delabitur; lingua tremula adparet; oculi injecti lacrymisque gravidi; labia involuntariis contractionibus agitata; tendinum subsultus cernuntur, quae omnia mortem jam proximam vaticinantur.

Ex his quae nuper exposui, morbi diagnosim derivandam esse censeo. Ast saepenumero accidit ut in dubium versetur medicus dum de phlebitide dignoscenda a morbis aliis agatur, et non semel vel peritissimus in errorem ducatur. Et re quidem vera quemadmodum a morbis afficientibus organum, textum, systema totum per animale magisterium agentia, ubi quo numerosiora symptomata sunt, eo magis multiformia, instabilia; ita et in phlebitide quidem contingere potest. Occurrere facili negotio statutum fuit ut ipsa pro arteriarum vasorumque lymphaticorum inflammatione habeatur, cum qua simul visa est quandoque procedere. Ad eas recte discernendas circiter haec si qua juvare possunt: In phlebitide, in arteritide et in lymphangioitide dolor fluidi circulantis cursum sequitur, hinc a vasis adfectis ad extremitates in arteritide; in phlebi-

Digitized by Google

tide vero a vasis adfectis ad cor dirigetur, et in lymphangioitide quoque postremam hanc directionem servabit; ast lymphaticae glandulae auctae, extensae et dolentes de earum vasorum adfectione testabuntur. Praeterea inflammatio venarum simul cum febri gastrica, typhode et nervosa, cum afebrilibus nervosis adfectionibus, cum hysterismo, cum hypochondriasi, cum cordis morbis et pulmonum, cum textus cellularis inflammatione, peritonitide, hepatitide etc. et sociatur et confunditur: ex quo fit ut diagnosis hujus morbi interdum perspicua, interdum difficilis, nec non obscurissima fieri possit.

Si parumper symptomata phlebitidis jam enunciata perpendamus, facili negotio potest hauriri, morbum hunc in generale corporis magisterium a loco primitus adfecto dilatari. Hujusce autem radiationis momenta sita judicantur tam in aponeuroticis tegumentis, quam in musculorum textubus, arteriis, vasis lymphaticis, nervisque. Nec omnino spernenda esse videtur sententia hoc circa argumentum a clarissimo Dance exposita, qui totus in eo fuit, ut puris absorptioni symptomata phlebitidis generalia et graviora sint tribuenda. Sequentibus argumentis clarissimus Auctor propriam sententiam defendere studet.

I. Pus quo major sit vena processu phlogistico

Digitized by Google

correpta, eo facilius in circulum fertur, atque hinc causam repetere possumus, quare morbus hic mille variare possit modis; fere nunquam enimvero parvarum venarum inflammatio symptomata generalia, totum nempe afficientia organismum, in medium proferre valet; et hoc evenit quia cum parvi sint momenti venae quae inflammatione corripiuntur, facili negotio sanguis in earum cavitate in coagulum mutatur, aut pseudo-membrana quaedam efformatur, quae canalem occludere, et hinc circulantis puris transitum impedire valeat.

II. Saepe ac saepius, ne semper dicam, phlebitis cum irradiatur, sanguinis cursum sequitur, atque hinc centrum versus.

III. Cadaverum autopsia palam facit praeter manifestissimas phlebitidis sequelas pathologicas longe alias et multo majores alterationes quoad sedem et quoad morbi decursum varimode inter se diversas: abscessus nempe in cerebro, in hepate, in liene, in articulis et praecipue in pulmonibus (organa haec postrema circulationi venosae perquam maxime inservientia) quandoque mucosae membranae gastro-entericae mollitiem. Sanguis fluiditatem quamdam peculiarem demonstrat.

IV. Alteratio quae saepissime observari potest, dum cadaver phlebitide peremptum seca-

Digitized by Google

tur, consistit in rapida abscessuum efformatione in pulmonibus, qui ob specialem quam tenent sedem, medicis investigationibus non indigni videntur et sunt. Abscessus hi occupant ordinario horum organorum basim inverso veluti modo quem tubercula sequuntur, et ad summitatem versus evolvuntur. In prima ipsorum periodo ecchymosis efformatur, quae citissime in nucleum quemdam durum nigrumque convertitur, paulo post pure inquinandum, verumque in abscessum mutandum; textus pulmonalis huic adhaerens physiologicis characteribus, quibus gaudet, sanus judicari fas est. Tumores isti in posterum externam tenent fere semper superficiem; versus pleuram protuberant; atque hinc pleuritis facillime in scenam oritur, quam a causa nuper exposita tantummodo repetere debemus.

V. Si vero considerare nunc velimus juxta Auctoris ideas; *a*) pathologicas hasce alterationes citissime apparere in scenam et phlebitidis in decursu; *b*) paucissimis diebus purulentam hinc illinc materiam efformari, et in abscessus magnae quandoque molis colligere; *c*) tumores hujusce generis ab aliis abscessibus differre characteribus fere dicam specialibus; phlogosis enimvero legitima nunquam in pulmonibus tumores pure confectos ut hoc in casu efformat; *d*) abscessus hosce textu omnibus physiologicis qualitatibus

Digitized by Google

praedito circumscribi; *e*) easdem alterationes ipsissimis in organis inveniri si phlebitis externa sit aut uterina: *f*) symptomata gravissima hunc morbum comitantia maximam praeseferre analogiam ac similitudinem cum his qui infectionem fluidorum miasmaticam denunciant, uti typhus etc. negare minime possumus puris absorptionem ac cum sanguine mixtionem in causa esse cur phaenomena haec in medium proferantur, etiamsi puris in sanguine praesentia adhucdum demonstrata non sit; analysis chemica ad hunc perfectionis gradum nondum elata fuit, et fors nunquam extolletur.

VI. Demonstratur quodammodo proposi tio supra exposita ex experimentis quae in animalia instituі possunt. Immissa re quidem vera in cruralem canis venam fuit injectionis ope puris uncia: canis duodecim post horas mortuus, symptomata quae puris cum sanguine mixtionem indicare potuissent, adeo clare aperteque non praeseferebat quin dubium superesset ob interitum nimis celerem animalis experimento subjecti. Nihilo tamen secius ipsius sanguis niger inveniebatur, et cadaver praecocis promptaeque ut ita dicam putrefactionis signa ostendebat. Dupuis, Trousseau, Leuret et alii dum putridas quasdam substantias in venas immitterent, varias locales viderunt et fere specificas alterationes: quae mor-



Digitized by Google

ץ״ג



bosae sequelae cum omnimode similes inveniebantur et cum iis comparandae quae a phlebitide originem repetunt, in eam sententiam facili negotio duci potuerunt, ut analogia quaedam quoad causam ab iisdem cognoscatur ac determinetur.

VII. Cur vero pulmones frequentissime sedem hujusce generis tumoribus praebeant, facili modo intelligitur: organa enimvero haec circulationis venosae centrum fere dicam constituunt, atque hinc evenire debet ut sanguis quocumque modo inquinatus hisce prae ceteris organis rapidiores profundioresque alterationes producere debeat.

Hepar et lien utpote centra hujus circulationis habentur et sunt; non raro hinc fit, praecipue si portarum vena phlogosi corripiatur, ut tales abscessus hic quoque determinentur.

VIII. Celeberrimus Auctor claro sub dio esse vult, se non intelligere dum loquitur de puris cum sanguine mixtione metastasim a veteribus admissam, sed tantum pus primitus cum sanguine immisceri, hunc speciali modo inquinari et hac ab alteratione phlogoses oriri, et processus morbosos peculiares. Puris non veram esse imbibitionem, multoque minus abscessum primam illorum tuberculorum periodum, tuto demonstrare possumus cum vel parumper perpendamus illa a vera parva ecchymosi originem repetere,

Digitized by Google

quae paulo post in nucleum circumscriptum nigrumque convertitur, in quo fulminis ad instar celerrime suppuratio manifestatur.

IX. Phlebitis morbus non adeo flocci faciendus est: et re quidem vera solida primitus hoc in casu afficiuntur, inde fluida quoque foedantur, et vitae periculum a tali sanguinis infectione repetendum potius est, quam a venae ipsius inflammatione: ab ipsa enim puris cum sanguine mixtione varia et gravissima morbosa symptomata in medium producuntur, quae quandoque arachnoitidem, encephalitidem, pneumoniam, pleuritidem aut gastritidem simulari possunt, quae a quorundam auctorum falso judicio, ut sympathicae irritationes habebantur.

Hisce expositis celeberrimus Auctor haec corollaria in medium profert: 1. Si rationali modo in phlebitide adhiberi possit compressio supra punctum phlogosi correptum, juxta etiam sententiam Hunter, ut tali pacto puris mixtio cum sanguine impediatur.

2. Diligentiam per quam maximam totis viribus commendandam esse putat in abstergendis a pure plagis, ne pus in circulum ducatur.

3. Injectiones emollientes in uteri cavitatem post partum adhibendae, ut ipsius superficies abstergatur, et placentae frustula casu quodam fortuito in hoc viscere nidulantia amoveri pos-

Digitized by Google

790



sint, ne suppuratio in scenam oriatur, et absorptio puris a venis matricis locum habeat.

4. In postrema hujus morbi periodo antisceptica sic dicta opportune in usum tracta optatum melioremque effectum inducunt potius quam repetitae venae sectiones.

Haec est celeberrimi Dance sententia, quae quanti facienda sit, clare aperteque uniçuique patere debet, etiamsi pro nihilo habeat metastaseos theorias.

Quaedam hic de venarum inflammationis prognosi dicenda esse censeo. Si ita re quidem vera variabiles sint conditiones morbosae, quae in phlebitide locum habere possunt, patet ac luce clarius elucescit, quam et prognosis variabilis esse debeat. Haec determinatur a causae natura ac indole, a morbi sede, ab ejusdem vehementia, a virium vitalium statu, a corporis constitutione, ab aetate, a sexu, a majori vel minori in alios variosque exitus proclivitate. Plerumque prognosis est valde funesta tum cum irritis omnibus auxiliis recte adhibitis morbus potius quam vi imminuat, eo magis vigeat et minitetur, magis magisque se diffundens trahensque in consensualem molestiam vitae partes necessariores.

Exitus, quibus morbus hic judicari potest, iidem sunt ac in ceteris phlogoseos processibus. Hinc resolutio, vasorum parietum adhaesio, pseu-

Digitized by Google

do-membranarum formatio, crassitudinis augmentum, effusio quae totam impleat vasis cavitatem, et quandoque etiam atrophia, ut Morgagnius observavit. Has omnes phlebitidis terminationes silentio lubenti animo praetermitto, utpote quae nihil quod specialem mereatur attentionem, praeseferant. Suppuratio est exitus communior phlebitidis ad quemdam gradum evectae, imo dici posset ejus finis fere naturalis.

Omnibus qui se in hoc. morbo exercuere, facillime occurrit. Est vero quoque exitus maxime periculosus propter puris transitum una cum sanguine in remotiores magnique momenti partes. Hoc est punctum, quo symptomata, prout dictum est in descriptione eorum, maximum adipiscuntur robur, quo aegrotantis pericula magis magisque increscunt. Exulceratio etiam et gangraena locum habere possunt, sed tantummodo cum morbus gravissimis aliis conjungatur.

In plerisque vero necroscopiis quamplures hujusmodi exitus simul praesentes reperti sunt, cum earum alterationum consequentium effectibus, quae saepe a phlebitide inducuntur; idcirco frequenter cum abscessibus in cerebri, splenis, hepatis substantia, cum mucosae gastro-entericae mollitie, et praesertim cum collectionibus purulentis in pulmonibus eorum basim occupantibus.

Indicationes therapeuticae quae occurrunt in phlebitidis curatione, variae habentur secundum gradum inflammationis, extensionem, sedem, secundum diversam causam, secundum stadium quod attigerit, semperque vero moderatae a cunctis illis circumstantiis, quae in omni morbo remediorum applicationem temperant.

Conveniet semper antiphlogistica methodus satis valida, sed in morbi primordiis adhibita. Sanguinis missiones copiosae potiusquam repetitae*, eo magis si de inflammatoria affectione diffusa agatur, et hae quoque cito confectae, nam observatum quam sollicite huic affectioni, peculiarem omnium actionum functionumque vitalium debilitatem supervenire. Juvabunt purgationes, antimonialia dosi refracta, potiones nitrosae, acidulae, sicut acidum sulphuricum dilutum: lixivae acetas, scilla, cremor tartari parvis dosibus, fructus horaei recentes, balnea tepida universalia plurimae erunt utilitatis. In usum trahenda sunt in systema vasculare specifice, ut ita dicam, agentia, scilicet digitalis purpurea, aqua cohobata lauri-cerasi, et ejus succedanea, extractum taxus bacchatae etc.

Si phlebitis localis est, in primis commendantur balnea frigida; postea relaxantia, cataplasmata emollientia, hyrudines, unctiones oleosae et mucilaginosae, balnea tartari stibiati solutione

Digitized by Google

confecta. Hunter, Reil et Abernethy ad phlogosis diffusionem purisque praesertim translationem impediendam adhaesivam supra subterque partem adfectam inflammationem vellent compressione excitare; ast Brechet qui parum adhaesivae venarum inflammationi confidit, melius suadet ad hunc finem ut vena trasverse caedatur; id vero tum cum capacitatis mediocris sit, et accessu facili, ne in vulneris actum aut arteriam, aut nervum majorem sint complectenda. Diaeta, quod latissime patet, opportune moderanda.

Attamen morbus saepissime, si per magnam systematis venosi partem extendatur, sive in ejus initiis minime cognitus, omnibus hujusmodi remediis rebellis fit, et inter omnium functionum tumultum incertumque ad tumulum miserabilem victimam trahit. Ad hoc jam perpendit celebris Tommasinius, nempe quò major phlebitidis diagnosis difficilis, eo major cura, morbus enim ad effectus minime evellendos pervenit tum cum symptomata ejus existentiam ostendere possunt, aegrotusque eo ob virium defectum sit perductus, ut cuncta magis apta remedia inania facta sint. Quod si in omni inflammatione eorum auxiliorum ad illam sternendam idoneorum admotio universali oeconomiae perniciosa fieri potest, id magis magisque evenit in systematis venosi inflammatione. Et illas quidem animosas sangui-

Digitized by Google

nis missiones ad vincendam phlogosim postulatas neque cor, neque systema arteriosum patiuntur. Illud incertum et irregulare debet apparere in motus suos, in circulationis perturbationem, a venarum tamque magni momenti vehiculi, infirmitate genitam. Praeterea systemate venoso aegrotante, ejus et actio in sanguinis elaborationem necesse est ut aegrotet, hinc inde aegrum naturale necessariumque incitamentum nervis arteriisque a sanguine bonae notae procedens. His denique causis curationis difficilis adjicienda praesentia puris toties efformati, et cum sanguine circulantis, cujus funesti ac fortasse invincibiles effectus in scriptorum operibus qui de phlebitide pertractarunt, satis elucescunt.

His collatis operae pretium esset investigatio de relationibus, quas cum quibusdam morbis phlebitis possit habere, quibus adamussim jampridem ac plerisque ignorata et oblita debuit confundi. Ast hujusmodi investigationes mei non sunt, neque forsan hodiernis notionibus omnino consentaneae: hinc argumentum hoc arduum sane et improbum iis relinquo, qui longa diuturnaque experientia suffulti quidquam quod utile reapse sit ac certum, in medium proferre valeant.

Digitized by Google

# APPENDIX

*Phlebitis femoralis ex pseudo-erysipelate cruris nata, cum febre gastrico-typhode effectiva incedens, et abscessus vastos provocans.*

Angela Bordin ann. 42, famula, temperamento sanguineo-lymphatico, et corpore graciliori donata, variolas confluentes, morbillos et scarlatinam in infantia pertulit. Aetatis 21 anno menstruis salutata, 23 viro nupsit ex quo duos concepit filios, qui post paucos annos una cum patre obierunt. Pathemate hinc pressam, et antea jam hysteralgicis affectionibus exagitatam, metrorrhagiae, et has domare solitae phlebotomiae magis adhuc confecerunt; necessitas tamen adegit ut servitii duros peragendo labores, pedibus saepe nudis pavimenta lapidea calcaret, cruraque aquae fluminis immergeret. Unde mirum non est, resistente egregie reliquo organismo, dexterum saltem miserae genu inflammatione quadam tandem correptum fuisse, quae extensione per totum crus erysipelaceam, suppurationis vero exitu phlegmonosam indolem ac profundiorem sedem manifestans, jure merito cum cel. Rust pseudo-erysipelas nominari potest. Ex

776



abscessu dein, ad tertiam circiter tibiae infimam partem nupto, ulcus enatum est, quod per menses nonnullos itidem neglectum, in aula tandem chirurgica clinica sanatum est. Ast sub finem curationis, febri corripiebatur vehementi, nonnullis, ut aegra retulit, convulsionis accessibus comitata; quapropter ad vesperas diei 5 febr. ex aula communi in clinicum nostrum translata, sequentia praebuit adnotanda:

Facultates mentis torpidae; animi status medius inter stuporem et prostrationem; nisus in somnum; capitis gravitas; cephalaea pulsatoria; photopsia; pupilla dilatata; susurrus aurium; vultus accensus, calore cutis siccae hic parum adaucto; lingua sordibus albo-flavescentibus obsessa, arida; sapor alienatus; sitis; nausea; anorexia; ructus; vomituritiones; vomitus biliosi; respiratio per vices frequentior et anxia; pulsus concitati, contracti, ad speciem debiles; sub pressione fortiori dolor in hypochondrio dextero, aliquantum tumente. Conquerebatur aegra de dolore exquisito sub attactu exasperando, qui a fossa poplitea cruris dexteri oblique per femoris faciem internam usque ad horizontalem ossis pubis collateralis partem extendebatur, et eumdem decursum sequenti cordae $\frac{1}{3}$-$\frac{1}{3}$ poll. amplae, hinc inde tuberibus crassioribus inaequali cum cute eumdem colorem offerenti, inhaerere vide-

Digitized by Google

batur. Calor in hac directione manifeste erat adauctus; crus quoque ejusdem lateris affectum erat impatiens; ad locum ulceris crusta albicans aderat, area roseo-livida cincta; ceterum hinc inde solum in hujus ambitu maculae conspiciebantur lividae, quae sub pressione momentanee pallescebant; atque ad malleolum internum levis tumor, digiti impressionem parumper retinens, ad malleolum vero externum tumor roseus elasticus cernebatur; motus artus totius, quamvis tardi, et ob dolorem caute, tamen perficiebantur.

His addimus illa phaenomena, quae subsequis diebus tum melius evoluta, tum accuratius observata adnotabantur.

Vertigo; cephalaea ad suturam coronariam, cum occipitali alternans, conjuncta; constrictionis in regione temporum, ponderisque ad bulbos oculorum sensatio; coma somnolentum cum facili excitatione facilique relapsu; leve delirium cum mortis timore; per vices ejulatio sub sopore ob dolorum exasperationes momentaneas; loquela tarda, languida, laconica; motus muscularis voluntarius nullus aut praelanguidus; insignis prostratarum virium perceptio; regurgitatio venarum jugularium praesertim in dextero latere; visibilis carotidum undulatio; pulsus valde frequens (120-135) et celer, subdurus, parvus, irregularis; respiratio valde citata, irregularis, per

Digitized by Google

398



vices suspiriosa; dolor in profunditate epigastrii et regionis iliacae dexterae sub fortiori contrectatione; cutis arida per vices mordaci calore imbuta, ceterum inaequali; urinae rubrae cum nubecula subsidente; alvus obstipa; sanguis missus placentam exhibens firmam et crustam tenacem, communiter ad dimidium pollicem crassam. Post venae sectionem pulsus magis evolutus, et symptomata cephalica imminuta.

Physiognomia autem sequens erat: frons corrugata, rugis perpendicularibus; oculi in orbitam retracti; bulbis tamen convexis (aegrae propriis), splendoris minoris, palpebra inferiore annulo livido excavato cincta; anguli oris demissi; facies collapsa, inaequali, inconstanti, limitato et ingrato genarum rubore persaepe alternatim suffusa, redeunte tunc aliquo oculorum splendore; sopor cum palpebris ad dimidium hiantibus, bulbis sursum tractis, sclerotica sola visibili; saepe palpebris summe retractis; oculi subinde large aperti, attoniti, deorsum defixi, neque lucis candelae admotae stimulum percipientes, pupilla fere immobili. En physiognomiam partim febri puerperali, partim typho propriam.

In diagnosi evolvenda omnem adhibuimus operam, ne morbus hic cum febre gastrico-nervosa confunderetur, cum qua summa erat analogia, male cautis imponens.

Digitized by Google

Venae sectionem unc. xiv die 1 curae mane, alteram die 2 vesperae hora 9 unc. x, tertiam post duas horas unc. viii, quartam die 4 unc. viii instituimus, et hirudines primitus 51 ad latera cordae inflammatoriae applicabamus. Hanc praeterea primum fomentis frigidis, dein cataplasmatibus emollientibus opiatis fovebamus; interne vero praeter potum acidulum, decoct. gramin., fruct. tamarind. cum nitro, crem. tart., tart. stib. (gr. 2–6 in die) dabamus; inserviebantque scopo repercutienti et derivanti fomenta frigida acetata capiti, et sinapismi plantis pedum admoti, nec non enemata. Imo etiam ad purgantia fortiora recurrere debuimus; quorum ope alvus foetidissima et nigra deponebatur.

His adhibitis jam die 3 curae major erat sensibus tum interno, tum externis promptitudo conciliata, motus tamen languebant tum voluntarii, tum involuntarii; pauxillo aurae camphora cum nitro leniter augendi. Sensimque et physiognomia suam deposuit alterationem, et omnia lente oscillandoque emendata sunt phaenomena, praesertim sympathica, et ex his cephalico-nervosa; persistebat tamen invincibilis gastricismus, et hujus conditio, localis affectio saltem aliquantum limitata ad partem mediam femoris. Tumores ad malleolos in suppurationem tendebant, et die 10 curae aperiebantur, moxque sponte clau-

debantur. Donec hi abscessus aperti tenebantur, femoris affectio multum remittebat. Paullo post istorum abscessuum clausuram tumor in medio chordae descriptae jam prius observatae, prae ceteris volumine, duritie et calore augebatur, totumque femur oedematose intumuit cum dolore pulsante, horripilationibus, nonnunquam frigore forti, et symptomatum ceterorum febrilium luculenta ad vesperas exacerbatione. Fluctuatione ob oedematiam prius ambigua, dein manifestiore, die 2 Martii, 25 curae tumorem aperiri fecimus, multumque inde puris evacuatum est. Hoc evacuari pergente, et febris et symptomata gastrica et sympathica alia quae supererant, brevi et perfecte disparuerunt. Tum vero ad amara et demum ad decoct. cort: chin. cum elix. acid. Halleri transivimus. Circa initium Aprilis nova comparuit contigui abscessus formatio, et licet prior ille exaresceret atque clauderetur, tamen iterum febrilia, gastrica et cephalica quaedam symptomata in conspectum prodierunt; quare die 15 Aprilis, 69 curae, nova abscessus apertura institui debuit, cum dictorum phaenomenorum brevi disparitione. Inde vero judicantes aegram fonticuli ad instar illa puris secretione indigere, derivandique gratia, fonticulum in crure dextero aperuimus. Hoc manante abscessus morbosus in dies exaruit, atque post brevem in

Digitized by Google

Aula communi, quo ad convalescentiam faciendam die 29 Maji, 115 curae nostrae translocata fuit, institutam chirurgicam curam, resanato penitus abscessu dimissa est. Vidimus tamen mense Septembris aegram ad eamdem Aulam reducem cum abscessu ejusdem cruris paulo post ad sanationem perducto.

Digitized by Google

# THESES

1. *In phlebitide caute venae sectio est instituenda, ne stimulis cordis sublatis, aeger derepente corruat.*
2. *Phaenomena bilioso-gastrica in phlebitide semper constantia.*
3. *Virium prostratio phlebitidi subsequa forsan plurima ex parte ob impeditam normalem haematopöesim.*
4. *Remedia quo simpliciora, eo meliora.*
5. *Morbi psychici a physicis suam repetunt originem.*
6. *Non datur mania absque delirio.*
7. *Remedia incognita in praxi medica a quodam psendo-medico proposita totis viribus rejicienda sunt, nisi prius experimentis recte institutis eorum virtus manifestetur.*
8. *Dantur remedia reapse specifica.*
9. *Regimen diaeteticum sano consilio institutum in morbis contagiosis et epidemicis princeps constituit remedium prophylacticum.*
10. *In pathologia veteres theoriae nunc irrisae, eadem qua recentes veneratione prosequutae fuerunt.*
11. *Anatomiae pathologicae studium a quamplurimis neglectum in causa est, cur de morbosis conditionibus judicium vel nullum quandoque proferri possit, et in quo stet morbus ignoratur.*
12. *Datur in specie humana superfetatio.*

Digitized by Google

Digitized by Google